

pisses, nos salutare, dici non potest, quantum exhilaratus eo indicio fuerim. Et jam in expectando te totus eram, cum ecce desideratissimæ tuæ³ superveniunt. Ac illæ quidem priore parte, quâ transiisse te Torga, et iam hæere Lipsiæ^c, afflictæ urbe, mox inde moturum pedem legebam, nescio quid nubili nobis offundere videbantur,^c cum^d ratis omnem te amplectendi spem præcisam admodum esse. Mox cum pergendo intelligerem in reditu tuo te affuturum certò nobis, tantum profectò propinarunt gaudij, ut capiundo vix essem, eiusque adeò pars in amicorum suavissimum HENRICUM à FRISEN⁴ primariæ Nobilitatis Juvenem, qui te iusto amore prosequitur, et sicut par est æstimat, derivanda esset. Quocum^e ut cætera omnia mihi communia sunt, ita et^d ad eum tuas illico literas perferendas curabam, quem non ignorabam maximo desiderio flagrare te vi-[93v]dendi. De cuius generosa indole divinoque ingenio et inusitata, non tantum in eo loco fortunaque, sed et^f ætate, eruditione, quicquid dixero minus erit. Quo accedit morum lepor et gravitas[.] In quibus ut nihil nisi generosum et tanta indole dignum, ita omnis asperitas fastusque longissimè abest: ut nullo commodiore uti queas. Patrem habet summum ac Nobiliss. Virum HENRICUM à FRISEN Electoris Consiliarium et in Curiâ Appellationum Præsidem.⁵ Primum Lipsiæ studuit deinde cum Comite Leidam abiit: ibique quatuor admodum annos egit, HEINSIO, CUNAEIO, et cæteris maximis Viris⁸ ibi familiarissime usus.⁶ Deinde lustratâ Galliâ Parisijs aliquantulum substitit, Illustrissimorum Virorum amicitiam receptus. Inde redux Hamburgi GROTIUM⁷ τὸν πάλιν allocutus, ita obstrinxit sibi ut amicissimis literis subinde eius diei memori[am] recolat.⁷ Auctores Latinos veteres omnes, Poetas, Oratores, Historicos, prope ad unguem [94r] tenet: jam in Homero, Euripide et cæteris eius Musæ totus est. Scribit et loquitur pari facundia, nec elegantia dispari planè ad genium^h antiquitatis. Pangit et versus et carmina docta, venusta, florida: nec destituta acuminibus, sed sponte natis. Quapropter nihil dulcius, nihil exoptatius mihi hactenus eius consortio et sodalitia fuit. Nam crebro invisitⁱ ad me, moraturque nobiscum non unam, sed plures horas^j. Dum inter jucundissimos sermones effluit tempus, et fallit. Nec unquam eum^k sine desiderio quodam, et ut quam primum^l redeat voto dimittere soleo. Nec tibi iniucundum erit, puto, tam egregium mortalem invenire apud me, et amplecti, et^m amicitiam dignari, quod unicè optat, et ego promisi.⁸ Cætera coram. Peto autem abs te FRATER ut quamprimum tenuerisⁿ Witebergam, confestim ad nos properes. Profectò enim omnis, vel parva, mora, molestissima erit. Vale dulcissimum et desideratissimum caput, et sospes quamprimum ades. Raptim ad d.º XIIX Septembr. M D CXXXIII

T. fraternâ fide
Aug. Buchnerus

T a Alle Drucküberlieferungen Nüslerus. — b Alle Drucküberlieferungen Oxenstirniun — c Folgt ein unleserliches gestrichenes Wort. — d Fehlt in allen Drucküberlieferungen. — e Archaisierendes Quocum in allen Drucküberlieferungen berichtigt zu Quo cum — f Fehlt in allen Drucküberlieferungen. — g Vorgestellt. In allen Drucküberlieferungen dagegen ibi Viris — h Bu 1707, Bu 1720 ingenium — i Wegen des fehlerhaften invisit ad me bei Jaski von